

hadi, aliorumque per Saxoniam Episcoporum exemplo haud minùs impigrè præstabat Hathumarus : quemadmodum omnes primos hosce Episcopos Apostolico spiritu plenos accepimus.

Annus Christi 797.

Leonis III Pont. 2.

Caroli M. Franc. Reg. 30.

Hathumari Ep. Pad. 3.

Inter hæc Episcopatus initia Hathumarus Caroli Regis præsentia recreatus animatusque. Westfalia jam subacta Christo, ac pacata, Ostfalia inter Albim & Visurgim adhuc turbabatur. quocirca Aquisgrano ex hybernis movens, Saxoniam cum exercitu est ingressus, ad contundendam perfidæ gentis contumaciam. Nec priùs destitit, quàm omnes terminos ejus peragrasset. Nam usque ad ultimos fines ejus, quæ inter Albim et Wisram oceano alluitur, accessit. Inde Aquisgranum se recepit, & legatos Saracenorum ac Constantinopolitani Imperatoris audivit. Quibus expeditis. Consilium iniit, ut ad conficiendum Saxonicum bellum in ipsa regione hyemaret. Sumpto igitur comitatu suo, Saxoniam petiit, castrisque super Wisram positis consedit, et locum castrorum Heristalli vocari jussit. Qui locus ab incolis usque ad præsens nominatur. Exercitum verò, quem secum adduxit, per totam Saxoniam in hyberna divisit, in eaq; residens Heristalli Natalem Domini et Pascha celebravit. Eò igitur ad se evocavit Pipinum filium ex Italia, & Ludovicum ex Hispania, transacturus cum illis de Regni negotijs. Ibi præterea legatos Hunnorum cum magnis muneribus ad se missos; ibi legatum Adelfonsi Asturiæ & Galletiæ Regis, papilionem miræ pulchritudinis dono ferentem audivit, remisitque cum Ludovico filio in Aquitaniam Abdellum Saracenorum legatum. Tam celebris rursus Paderborna (intra cujus diocesin Heristallum) non tam filiorum legatorumq; accessu, quàm hybernis & festis Natalitiorum & Paschatis apud nos celebratis; perinde ut primis in Saxonia hybernis ante duodenos annos Christi Natalitia Ludæ ad Ambram fluvium, & Pascha Eresburgi intra fines hujus Episcopatus peracta. Nec alibi unquam inter Saxones hæc Caroli hyberna, & celebrationes solemnium festorum peractæ. Nec dubium feceris, quin Hathumarum Carolus per hyberna intra diocesin hanc ad se evocârit, ac de statu nascentis Ecclesiæ suæ coram cum eo disposuerit, magno simul hortamento ad laboris sacri constantiam. Ceterum Heristellum, seu ut Adelmus scripsit, Heristallum, in editi abruptique, quæ Visurgi imminet, montis vertice Saxonum castrum est haud secus quàm Eresbergum, à Carolo per initia belli expugnatum, intra Saxonum antiquorum fines, quibus Hassia, quæ

Ann. Franc.
Auctor vita
Caroli.
Regino.
Adelmus.

Carolus
Heristalli
in Diocesi
si Pader-
born. hy-
bernat.

Heristalli
descri-
ptio.